

æque personam, ordinem, familiam, & cæteras, quæ Te comitabantur, dotes; & quæ Te ipsum dignum eminenti illa dignitate, quam merito possides, præfigurabant. Sive enim modestiam tuam contemplerer, ut a persona exordium sumam, sive comitatem, sive prudentiam, eæ tales ac tantæ erant, ut Te vere, & ex eo sanguine progenitum, ex quo natus es, & in illo Ordine educatum, in quo Sanctæ Religionis habitum induisti, demonstrarent. Illius namque Principis in Ecclesia eminentissimi, & ea consanguinitate ornatus, in quo ad præsens Sanctissimum Christi Vicarium adoramus, adeo dissimulabas generis amplitudinem, ut in nullo Te singularem ostenderes; immo potius inter cæteros tanquam unum ex illis communi consortio reputares. Quot in Aula honoris & reverentiæ signa Tibi exhibebantur, tot erant modestiæ tuæ testimonia & ornamenta; ea enim omnia dum Tibi ruborem in vultu spargebant, cultum in insipientium cordibus & amorem excitabant; ex quo Tu quoque ut a supremo Ecclesiæ Hierarcha affectionis & laudis argumentis exornabaris, eo pariter ab Ecclesiæ Proceribus, immo ab omnibus Aulæ Præsulibus, admirationis specimina excipiebas.

At quid mirum, si in eo Ordine educatus, ad quem confugeris, non ut in eo resplenderes, sed ut lateres; & ut lucem potius absconderes, quam Tibi nativitas dederat, & fortuna augmentarat, quam ut eam latius extenderes, & quaqua versus amplificares? Is enim Ordo tuus est, quem a S. Matre tua institutum fatentur omnes, ut in eo virtutes acquirantur, honores vero vel relinquuntur, si alias habiti; vel si habendi, despiciantur. Norunt omnes, qui excalceatorum Carmelitarum religiosissimam familiam sciunt, quot in dies in eadem, sive in hominibus, sive in mulieribus, qui ipsi dant nomen, sanctitatis conspiciuntur exempla, & seculi hominibus ad imitationem quoque proponuntur. Hoc unum amplissimo toti Carmelitarum Ordini deficiebat; scilicet quod quum esset tot tantorumque Prophetarum, Patriarcharum, Archiepiscoporum fecundissima mater, non adhuc inter suos aliquot